

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### I. Übersetzung

1       Quamquam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quaerimus non sit ambiguum, utpote  
2       cum<sup>1</sup> diligenter in utroque uiuendi genere uersatus repudiaris alterum, alterum  
3       conprobaris, in praesentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas  
4       aequissimi iudicis nec in alteram partem propensus incumbas, ne non tam ex nostris  
5       disputationibus nata sententia quam ex tuis sensibus prolata uideatur. Proinde, si mihi  
6       quasi nouus aliqui et quasi ignarus partis utriusque considas, nullum negotium est  
7       patefacere omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa magisque omnia uerisimilia  
8       quam uera; quo magis mirum est nonnullos taedio inuestigandae penitus ueritatis  
cuilibet  
9       opinioni temere succumbere quam in explorando pertinaci diligentia perseuerare. Itaque  
10      indignandum omnibus, in dolescendum est audere quosdam, et hoc studiorum rudes,  
11      litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum  
12      ac maiestate decerner e, de qua tot omnibus saeculis sectarum plurimarum usque adhuc  
13      ipsa philosophia deliberat. Nec immerito, cum tantum absit ab exploratione diuina  
14      humana mediocritas, ut neque quae supra nos caelo suspensa sublata sunt neque quae  
15      infra terram profunda demersa sunt aut scire sit datum aut scrutari permissum aut  
16      suspiciari religiosum, et beati satis satisque prudentes iure uideamus, si secundum illud  
17      uetus sapientis oraculum nosmet ipsos familiarius nouerimus. Sed quatenus indulgentes  
18      insano atque inepto labori ultra humilitatis nostrae terminos euagamur et in terram  
19      projici caelum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus, uel hunc errorem  
20      saltem non uanis et formidulosis opinionibus implicemus. Sint principio omnium semina  
21      natura in se coeunte densata: quis hic auctor deus? Sint fortuitis concursionibus totius  
22      mundi membra coalita, digesta, formata: quis deus machinator?  
23      Sidera licet ignis accenderit et caelum licet sua materia suspenderit, licet terrarum  
24      fundauerit pondere et mare licet influxerit e liquore: unde haec religio, unde formido,  
25      quae superstitione est?

---

<sup>1</sup> **utpote cum** = da ja